



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali


Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs II. De intellectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

neceſſe quidem eſt, vt anima per ſolam ſuam ſubſtantiam nutritionem ac generationem exerceat: hæc autem ratio non militat in intellectu & ſenſu, voluntate, & appetitu: harum enim facultatum termini ſunt accidentia, quæ à potentiis accidentalibus produci poſſunt, earumque perfectionem non excedunt. Verum & hæc etiam opinio parum ſermo fundamento innixa eſt: ſicut enim ſubſtantia eſt immediate productiua alterius ſubſtantia; ita à fortiori & accidentis: id quod in Phyſica lib. 4. tract. 7. oſtendimus ex profeſſo: ſicut igitur anima per ſuam ſubſtantiam ſe ſubſtantialiter nutrit, ac ſibi ſimile ſubſtantialiter generat: ita ſimiliter per ſuam ſubſtantiam cognitiones, & volitiones materiales efficere poterit.



TRACTATUS II.

De intellectu.

CAPVT I.

Quid ſit intellectus.

ILLud ante omnia ſtatuendum eſt, intellectum eſſe potentiam cognofcitiuam ſpiritualem, & hanc eſſe eius germanam definitionem: qua tum à potentiis ſenſitiuis, tum etiam à potentiis nullo modo cognofcitiuis diſſidet. Rurſus ſecundo ſtatuendum eſt, obiectum adequatum noſtri intellectus eſſe omne ens, cum experientia teſte nullum ſit, quod clarè aut confuſè non aſſequamur. Non repugnat tamen aliquis intellectus, qui ad aliqua tantum genera entium cognofcenda eſſentialiter adſtrictus ſit: quod licet à multis falſum ſupponatur, eius tamen probabilitas ſubluceat ex potentiis materialibus à Deo creatis, quarum alia plura, alia pauciora, nullæ tamen ferme omnia obiecta materialia cognofcere aptæ natæ ſunt, vt rectè arguit P. Arriaga diſp. 6. de de anima ſect. 1. nobiſcum aſſentiens. Quod autem attinet ad obiectum formale noſtri intellectus, licet Thomiſtæ cum B. Thoma 1. p. q. 64. art. 7. arbitrentur, illud eſſe quidditatem rei materialis. Scotiſtæ vero cum Doctore ſubtili in 1. diſt. 3. quaſt. 3. malint eſſe verum: cæterum ambo de nomine altercantur, ac facile conciliari poſſunt: ſi enim ſermo ſit de intellectu ſecundum ſe ſumpto, eius obiectum formale quo, ſiue ratio formalis ſub qua eſt verum, ſeu cognofcibile: ſi autem ſermo ſit de intellectu prout vnito corpori, eius obiectum formale quod proprium, id eſt, per propriam ſpeciem cognofcibile eſt ſola quidditas rei materialis, nimirum quia in hoc ſtatu ſolas res materiales, non vero ſpirituales per proprias earum ſpecies cognofcere poſſet. Præterea tertio ſtatuendum eſt contra Capreolum, alioſque Thomiſtas intellectum noſtrum formare proprium, ac diſtinctum conceptum rei ſingularis: id quod conſtat, cum ex diſtinctione illa, quam vel ipſi aduerſarij agnoſcunt inter rem ſingularem, & vniuerſalem: neque enim diſcernere poſſent inter vtramque, niſi nō ſolum vnius, verum etiam alterius proprium, ac diſtinctum conceptum formarent. Idipſum conſtat ex his præmiſſis mentalibus: *omnis homo eſt animal: Petrus eſt homo.* Quod autem quidam reſpondent, ſubiectum minoris eſſe in phantaſia, & prædicatum in intellectu, videndū eſt: quia non niſi vna potentia confert, & iudicat: ea ergo tam ſubiectum, quam prædicatum concipit: alias quo pacto ea conferre poſſet? ſtatuendum quarto eſt

R. P. Richardi Lincolni, Philoſoph. Tom. III.

contra eoſdem, intellectum noſtrum non ſolum diſtinctè cognofcere ſingularem, ſed etiam ea cognofcere per proprias ſpecies impreſſas: cur enim dari nequeat ſpecies impreſſa intellectualis obiecti ſingularis propria? haud aliter ac eius dari ſpeciem expreſſam propriam iam iam vidimus.

Statuendum quinto eſt contra plures etiam Thomiſtas, intellectum noſtrum cognofcere res ſingulares directe, & non reflexè in phantaſia. Primo quia phantaſia iuxta ipſos directe cognofcit ſingularem: ergo à fortiori intellectus, quæ eſt potentia magis perfectæ. Deinde quia ſicut intellectus cognofcit directe ipſum phantaſma ſingulare, cur non etiam alia quæque ſingularem. ſtatuendum eſt ſextò contra ipſos, ſingularem prius ab intellectu noſtro cognofci, quam vniuerſalem: ſiquidem omnis cognitio noſtra in hac vita incipit à ſenſu, & prima ſpecies, quam habet intellectus, eſt alicuius obiecti per ſenſum prius cogniti: cum ergo ſenſus ſit ſingularium, neceſſe quidem eſt, vt prima ſpecies impreſſa, atque adeò expreſſa noſtri intellectus ſit alicuius rei ſingularis. Ariſtoteles autem 1. Phyſicor. aſſerens, vniuerſaliora eſſe priora in cognitione minus vniuerſalibus, tantum ſibi vult in quauis ſcientia vniuerſalia principia, rerum ſingularium, ſeu minus vniuerſalium notitiæ, & explicationi præmitti debere, & hunc vt plurimum doctrinæ ordinem meliorem eſſe. Statuendum ſeptimò contra eoſdem eſt, intellectum noſtrum poſſe vno actu cognofcere plura vt plura: eadem enim res realiter plura cōnotare poſſet, vt patet vel in anima noſtra, quæ tot, ac tam diſtinctas operationes reſpicit: cur igitur vnus actus plura obiecta vt plura, atque diſtincta connotare nequeat? ſtatuendum octauò eſt contra Albertum, Aueroem, Auicenam, intellectum in hac vita intelligere naturaliter non poſſe, niſi dependenter ab operatione phantaſia: tum quia id expreſſè docet Ariſt. 3. de anima text. 39. quæ plerique Philoſophi, ac Theologi ſequuntur: tum quia læſa phantaſia læditur operatione intellectus: & impeditur omnino phantaſia, aut vi morbi, aut vi ſomni, impeditur omnino intellectus operatio: ſignum igitur eſt, alteram facultatē niſi adimiculante altera operari non poſſe: tum etiam quia alias intellectus noſter ſemper, & abſque vlla fatigue intelligeret: haud aliter ac Angelus indefeſſo conatu intelligit, hoc ipſo, quod phantaſmatis ad intelligendum non egeat. Tum demum quia experimur abſque imaginibus rerum ſenſibilium obiecta etiam ſpiritualia nos intelligere non poſſe: at hæc imagines ad intelligendum per ſe non requiruntur, vt patet in Angelo, & animo ſeparato. ergo tantum per accidens requiruntur ad intelligendum, videlicet quia neceſſariæ ſunt ad operationem phantaſia, ſine qua intellectus in hac vita intelligere non valet.

CAPVT II.

Diuiſio intellectus in agentem, & patientem, aliasque ſpecies.

IN primis ſtatueda, & explicanda eſt celebris illa diuiſio intellectus in agentem, & patientem ſiue poſſibilem, intellectus agens communiter dici ſolet facultas illa, quæ abſtrahit ſpecie impreſſam ſpiritualem à phantaſmatibus, ſiue quæ dependenter ab operatione phantaſia ſpeciem intellectualem efficienter producit: intellectus patiens, ſiue poſſibilis eſt, qui talem ſpeciem recipit, & per eam eſt in actu primo proximo ad ſpeciem expreſſam recipiendam, & efficiendam, atque ad cognofcendum vi illius. Porro autem non parua eſt controuerſia, quænam ſit hæc facultas productiua ſpecierum, quæ intellectus agens

Cc 2 nunc

nuncupatur? Primò, namque Alexander lib. 2. de anima & Hurtadus disp. 5. de anima sect. 5. Tuentur, intellectum agentem non esse aliquam potentiam animæ, sed esse Deum ipsum; cuius munus est loco obiecti species producere. Secundò censent Auerroes, Auicenna, & multi Arabes, intellectum agentem, ac productivum specierum esse intelligentiam, siue substantiam separatam. Ambæ tamen sententiæ mihi displicent: nam præsentem causam secundam proportionatam parum Philosophicum est ad causam primam confugere, aut etiam præsentem causam inferiori ad causam superiorem, ac separatam: alias calor in ligno productus non in ignem præsentem, sed vel in Deum, vel in intelligentiam tanquam principium effectivum reuocari posset: ac intellectus præsertim phantasmate illustratus est causa sufficiens, & proportionata ad productionem specierum impressarum spiritualium, cum species expressas longè perfectiores immanenter producat: perperam ergo talis productio soli Deo, aut intelligentiæ assignatur. His adde Philosophicum illud axioma rerum omnium sensibilibus experimento competentum, naturam ab intrinseco habere principia necessaria ad functiones suas obeundas, & perfectiones sibi debitas acquirendas: non ergo à solo Deo, & intelligentia intellectus noster species accipit, aut munus intelligendi exercet.

Tertia sententia est Platonis, & sequacium, non dari ullum intellectum agentem, siue productivum specierum dependentem à phantasmate, quin potius animas hominum cum speciebus rerum omnium ab æterno extitisse, & corpore indutas eius contagione obscurari, ac plerarumque rerum obliuisci, easque postea non addiscere per species à phantasmate emendicatas, sed solum reminisci per species præhabitas, antequam in corpora dimitterentur. Quarta sententia est, intellectum agentem esse ipsum intellectum possibilem, prout efficit in se species spirituales per solam sympathiam cum phantasia, quin ab eius operatione dirigatur, aut intrinsece moueatur. Verum prima harum opinionum mihi non probatur: primo, quia falso supponit, animam non esse veram corporis formam, nec simul cum eo creatam esse, sed æternum extitisse de quo infra lib. 9. tract. 1. cap. 2. & 3. Rursus ubi anima non dependeat à phantasmate corporeis in prima receptione specierum, primoque earum usu, non video, cur postea in statu etiam coniunctionis cum corpore eiusmodi speciebus uti non possit absque phantasmate operis: sicut si voluntas sine cognitione primò amare posset, numquam ea indigeret: at animam corpori coniunctam sine phantasmate ope intelligere, aut speciebus uti non posse paulo supra cap. 1. demonstratum manet. Posterior etiam sententia mihi non probatur: primo quia falso supponit intellectum possibilem, & phantasmam potentias distinctas esse. Deinde, quicquid sit earum discrimine, sympathia duarum rerum est miraculum quoddam naturæ, quod adstrui non debet absque vrgenti necessitate, quæ certè hic nulla interuenit. Quintò plerique Thomistæ tuentur phantasma corporeum esse causam efficientem adæquatam speciei impressæ spiritualis: quia licet ea longè imperfectius sit, atque in inferiori rerum ordine constituatur, tamen non efficit speciem spirituales, nisi in virtute intellectus possibilis, cuius instrumentum est: haud aliter ac accidens in virtute substantiæ aliam substantiam se perfectiorem adæquatè efficit. Verum in primis hanc accidentis efficaciam fusè impugnauimus in Physica lib. 4. tract. 7. cap. 1.

Rursus cum tantopere crucientur Theologi, vt explicant, quatenus ignis etiam de potentia absoluta in animam spirituales agat, eamque in inferno torqueat; quid fieri potest, vt naturaliter etiam phantasma corporeum in intellectu spirituali spirituales speciem efficiat? Præterea cum intellectus noster per principium aliquod sibi intrinsecum speciem impressam iuxta aduersarios in se producat: ecquis non videat, magis congruum, & naturale, magisque accommodatum naturis rerum esse, vt illud instrumentum intrinsecum, atque in eadem anima radicum sit spirituale, sicut effectus ipse, cum etiam instrumenta intrinseca causarum materialium materialia sint? Tandem, cur Angelus à rebus corporeis species earum impressas non emendicat, haud aliter ac anima à phantasmate eas accipit?

Sexto alij arbitrantur, causam efficientem adæquatam specierum spiritualium esse intellectum possibilem, necnon etiam phantasmata corporeum. Cæterum hæc sententia quatenus tribuit phantasmate efficienti partialem specierum spiritualium, patitur aliquas difficultates quas contra Thomistas proxime expendimus. Præterea nec amor ad cognitionem, nec conclusio ad præmissas, nec intentio ad electionem, nec actus vnus scientiæ ad actum alterius efficienter concurrunt, vt in Dialectica exposuimus: multo ergo minus phantasma corporeum in species spirituales concursus efficientem etiam partialem conferre poterit. Quocirca longè probabilior, atque inter nostros communior opinio est, solum intellectum possibilem esse causam immediatè effectiuam specierum spiritualium. Cæterum phantasmate corporeis præuentibus tanquam conditionibus, aut velut causis formalibus extrinsecis, siue directiuis: sicut cognitio amorem, aut præmissæ conclusionem anteuertunt.

Alij seorsim à quavis specierum abstractione diuisionem illam intellectus agentis, & patientis cum Hurtado ubi supra satis probabiliter explicant vt idemmet intellectus sit agens, quatenus speciem expressam, seu cognitionem efficit, & patiens quatenus illam recipit. Dici etiam potest probabiliter intellectum, quatenus intelligit per intellectionem actiuam, esse agentem, & quatenus per intellectionem passiuam, esse intellectum patientem: Quod enim duplex hæc intellectio admittenda sit, tract. sequent. c. 7. patebit. Præterea si, quod probabilius, species impressæ spirituales nihil aliud sunt, quàm habitus intellectuales ad facile intelligendum requisiti, causa profecto efficiens specierum spiritualium erunt ipsi actus intellectus, quos habitum generare nemini non manifestum est. Intellectus etiam diuidi solet in practicum, & speculatiuum in ordine nimirum ad actus practicos, & speculatiuos, quos elicere potest. Quamuis autem Aristoteles libro 6. Ethicorum capite 1. & libro Magnorum moralium cap. 37. Insinuet, hos intellectus realiter distinguere oppositum tamen verius, & communius est, & liquet ex his, quæ tract. Primo huiusmet libri differuimus. Tandem diuidi solet intellectus in intellectum præteritorum, siue memoriam, & intellectum absolute sumptum, ac circa alia quævis obiecta. Hæc etiam diuisio non est in membra realiter distincta, vt rectè docet P. Suarez lib. 4.

de anima capite 10. Vt cum Thomistis alias animæ potentias realiter distinctas esse tueatur.